JOHANNIS LAURENBERGII,
Viri Clarisſimi,

SATYRA
elegantiſſima,
Quâ rerum bonarum abuſus &
vitia quædam ſeculi perſtringuntur,
Anno cIↄ Iↄc XXXVI edita,
ejusdemque

QVERIMONIA
De ſuo & Academiæ Soranæ Statu.

In horum temporum uſum recudi fecit

D. G. MORHOFIUS.

KILONI,
Imprimebat Joachimus Reumann, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXIV.

N

PE

JCto

CUm

ami

nes

tius illâ συς

omnibus lit

artibus cop

dia per orb

ferat, & qu

nere occurr

cem editur,

tum JOAN

ni, Viri, du

Cujus cum

cere oſtend

Reverendus

Corlorenſis

by Google

Nobiliſſimo Ampliſſimoq;

PETRO AXENIO,

JCto, Philologo, Polyhiſtori,

omnium elegantiarum Viro,

Amico optimo

S. P. D.

D. G. MORHOFIUS.

CUm in nuperis nundinis unâ eſſemus, AXENI amiciſſime, de rebus literariis, ut ſæpe, ſermones cædebamus. Neque mihi quicquam gratius illâ συζητήσει accidere poteſt, qui Te novi virum omnibus literarum amœnitatibus ornatum, omnibus artibus copioſum, qui etiam inter fori ſtrepitus & tædia per orbem tamen literatum vigiles oculos circumferat, & quicquid elegantiarum in omni ſtudiorum genere occurrit, quicquid librorum præſtantiorum in lucem editur, feliciſſimâ ſolertiâ indaget. Commodùm tum JOANNIS LAURENBERGII, Profeſſoris Sorani, Viri, dum viveret, Clariſſimi, injecta mentio fuit: Cujus cum TE ſcripta, ut ſanè æquum eſt, magni facere oſtenderes, protuli Tibi, quam è Daniâ Vir Pl. Reverendus MARTINUS HERLOVIUS, Præpoſitus Corſörenſis transmiſerat, SATYRAM ejus Latinam,

eique junctam de miſero ſtudiorum, Academiæ ſuoq; ſtatu querelam. E quibus ut ego mirificam voluptatem ceperam: qui è Satyris Saxonicâ linguâ ſcriptis, & antiquæ Satyræ genium ſpirantibus, horum jam imaginem animo conceperam: ita Tibi inſpicienti ut Phidiæ ſignum ſtatim illa probata, & cum magnâ animi delectatione non perlecta, ſed devorata. Convenit tum ſtatim inter nos, ut typis recuderentur & in doctorum familiaritatem reducerentur belliſſima illa Carmina: quibus Tu nuptiales ejusdem Autoris Jambos, facetos ſanè & molliculos quos ab Amico acceperas addi voluiſti. Tuo itaque amiciſſimo nomini hæc inſcribo. Te enim Veneri huic procum deſignandum mihi duxi, egregium formarum iſtarum ſpectatorem. Ad guſtum tuum erunt hæ deliciæ, fatuo atque inſipido palato non apponendæ. Nam vel ſale & aceto, quo ulcera ſeculi tangit, ingenio ſalivam movet Satyra. Eruditis certè crambe hæc vel centies recocta ſapit. Rudes & inficeti homines abeſſe ab his ſacris debent. Noſti enim Græcum illud: *ὄνῳ τὶς ἔλεγε μῦθον; ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει.* Innoxiæ, manſuetæ, inermes ſunt Muſæ: ſed tamen & ſtylo interdum pugnant & Satyris, altius animo, quam ſica ac telum, inſeſſuris. Nihil vero hâc Satyrâ in illâ mordacitate ſuavius: nihil convenientius. Si tempora, quibus ſcripta eſt, cum noſtris conferas,

non

non eſt ovo ovum ſimilius. Eadem agitur nunc, eadem ſurdis canitur fabula: eædem Muſis figuntur cruces ad potentiorum limina ejulantibus, & veteres illas querelas ac nænias ſuas occentantibus. Si ornatum & verba ſpectes; nihil terſius eſt & latinius: nam unam alteramque voculam, quæ auream ætatem non redolet, nihil moror. Cui enim in ferreo hoc & lutoſo ſeculo verbum minus aureum non exciderit? Lapides potius nunc loqueretur Satyra, qui inſanum hominum ſinciput expugnent. Ego verò hoc ſacrum tibi eſſe munus volo, *δῶρον*, ut videtur, *ἄδωρον*, quia non meum; ſed affectu tamen & meum & tuum; Imo & jure quodam meum, quod in lucem à me iterum protractũ, quodque meum erga te affectum quomodocunque declaret. Itaq; & adoptivo hoc officio tibi à me ſatisfactum, & Viri Clariſſimi Manibus, te teſte & in parte officii veniente, hoc monumento parentatum putabis. Vale.
Dab. è Muſéo meo. Id. Mart. Ann. MDCLXXXV.

Ad Lectorem.

INfectum ſcabie & turpi prurigine corpus
Ferre ſalem nequit, aut acris medicamen aceti,
Sed blando gaudet palpari leniter ungue.
Verbera promeritus, baculi ſi tangitur ictu,
Ejulat inſonti fundens convitia ligno.
At quibus integra teſtis mens conſcia vita eſt,
Pars hujus non ſunt charta: ſcabioſa fricantur
Corda hic mordaci pipere & Satyra ſale multo.

Joan Laurenbergius.

SATYRA.

SOllicitas volvens mœſtò ſub pectore curas
Theſpiadum Præſes, Cirrhæi in vertice montis
Ordine diſpoſitas juſſit conſidere Divas:
Tum Citharam projecit humi, laurumq; capillis
Excuſſam lacerans, his vocibus ora reſolvit.
Jam conclamatum penè eſt: jam noſtra, Sorores
Aoniæ, è tenui dependet gloria filo,
Et per tot caſtè ſervatus ſecula nobis
Præcipitem minitatur honos ac fama ruinam,
Ex quo Mœnaliam fuit auſus ſumere buxum
Marſya, Chaoniasque fides tentare profanis
Inſulſus Bavius digitis: dum diſſona chordis
Vox ſtridet durum & miſerabile. Cernitis ipſæ,
Quanta cohors paſſim currat per compita, qui nec
Fonte Caballino tinxerunt labra, nec unquam
Fatidica in bifido viderunt ſomnia colle,
Se magnos gaudent tamen appellare Poëtas,
Et ſeſe immerito titillant nomine Vatum.
His, doctæ fuerant olim quæ præmia fronti,
Per ſtolidum ſerpunt hederæ caput: innuba laurus
Obſcœnam ſcabiem, & turpis tegit ulcera calvæ.
Heu quotnam piperi tunicas ſcombrisque datura
Carmina ſcribuntur, mediam replentia chartam
Immani titulo! Non perſanabile cunctos
Hoc cacoëthes habet; gliſcitque ea publica peſtis
In mentes hominum, qui nil ſine carmine felix
Nil fauſtum eſſe putant. Sine carmine nemo Magiſter

Nemo poteſt Doctor fieri. Cum ducit amator
Formoſam in thalamos nympham, ſi carmina deſint,
Nocte jacet tota tenuis ſine robore nervus,
Non magis arrecto quam Neſtoris hernia collo.
Carminibus dictis, generoſæ ſemina prolis
Sponſa capit; plebejæ animæ ſine carmine ſurgunt.
Cum moritur dives, mœſtæ ſociata cupreſſo
Sportula chartarum properat: lugubre viritim
Pullatâ ſervus currens in ſindone carmen
Diſtribuit populo: cantata hæc nænia pellit
Eumenidas, Stygii obturans tria guttura monſtri,
Nec ſinit ut triſti damnetur ſpiritus Orco,
Tam longís numeris, tam crebro carmine tutus.
Nec Latias tantùm Muſas, queis Arma virumque
Paſcuaq; & ſegetes cecinit Maro, queisque Tibullo
Delia, & inconſtans Naſoni dicta Corynna eſt,
Grandiſoni tentant vates. Jam ſcanditur Oeta
Doricus; epoto jampridem Tibride, docti
Turbantur latices Aganippidos Hippocrenes.
Et ſacer Ilyſſi torrens, quem Græcia quondam
Illimem, ac purâ manantem viderat undâ,
Sordidus & putris cœnoſa uligine torpet.
Quique thymo florens, cythiſoque inſignis Hymettus
Pindaricas ſaturavit apes, hinc ſtercora noſtri
Hirſutasque legunt vepres, & oleta Poëtæ.
Scilicet, & vaſtæ nuper trans æquora Balthos,
Oppoſitosque ſinus Cimbrùm Germana poëſis
Ire peregrinas audax dum tentat in oras,
Immites ſenſit Nereidas; æquore toto,
Et vento, & gravibus miſerè jactata procellis,
Illiſa eſt ſcopulo, cœcis atque hæſit arenis,

Quâ

Qua Mona äerios tollit cretacea cautes.
Navifragam, fractæque ratis vix membra tenentem
Excepit littus nudum: ſed corpore toto
Friget adhuc, redoletque picem, pinguesque rudentes
Sentinamque gravem: liquidam vox rauca mephitim
Spirat, ineſtque olidis, biberat quam, nautea rythmis.
Quantis torminibus bilis mihi concitat alvum,
Quotque ciet vomitus, cum tales haurio verſus,
Incautave manu tango! Meminiſſe dolorem
Integrat, immenſæ pretium periiſſe papyri,
Mercedemque virûm, prælo qui carmina formant,
Ficos & tumidas ano factura mariſcas.
Quid reliquum fecit nobis? quid grandius ultrà
Barbaries inimica poteſt? Jam denique tædet
Plectrorum, citharæque pudet, ſi nulla laboris,
Nullaque nocturni referemus præmia olivi,
Quam riſum & ſannam populi! Quin protinus artes
Expetis ignotas, miſer ô Phæbe? utque deinceps
Felix eſſe queas, multóque ſuperbus honore,
Diſcito adulari Divis, effingere vultus
Socraticos, magnoque cliens palpare patrono.
Deferre adſueſcas mendacia: teque magiſtro
Innocuos carpat furtiva Calumnia mores:
Candorem lauda; ſed cùm te ſancta loquutum
Audierit populus, mox ſolo teſte ſalino,
Impleto dominas occultus proditor aures.
Dixerat hæc Phœbus: tacitæ ſedere ſorores,
Attonitæque metu. Sed paullùm à ſede levata
Urania & lacrimis manantia lumina tergens,
Talia voce refert: Tibi non injuſta doloris
Cauſa ſedet, meritasque Pater conſurgis in iras.

B Sed

Sed tamen & noſtram fata infelicia ſortem
Exagitant, inſtatque pari diſcrimine damnum.
Nam quota pars hominum nulli parſura labori
Calce indefeſſo noſtri faſtigia montis
Exſuperat? quis Caſtaliâ ſe mergit in unda?
Quis curat, loculos non expletura capaces
Per ſtudia, atque inopes animum excoluiſſe per artes?
Unus divitibus Pluti qui creſcit in hortis
Floſculus, ambroſiam ſpirans, panacæa malorum,
Nepenthes vitæ, Roſa-Nobilis, unicus ille eſt,
Quem plebs, quem ſtudio quærunt ardente Quirites,
Cui nocturna inhiat noſtri vigilantia ſecli.
At qui Pieriis ſolle s ſpacietur in arvis,
Et flores carpat, quos tempe Heliconia gignunt,
Rara nimis turba eſt. Plures penetralia rupis
Gorgoneæ, & ſacri ſubiiſſent intima collis,
Indocti niſi dextra ducis, recti inſcia callis,
Et ſeſe regere ignari, puerilibus annis
Incautam ſecum raperet per devia pubem.
Nec tamen hinc animis antiquum dogma regendis,
Quod tenuere patres penitus diſcedere juſſum eſt:
Nec diſciplina exſilio eſt damnata: ſuperſunt
Priſtina Eleutheria, & multis imitabile ludis
Cecropium ſua monſtrat adhuc ſimulachra Lyceum.
At quantæ pueros peſtes, quæ probra juventam
Exercent! quot ſeſe oſtendunt monſtra ſcholarum,
Queis ordo omnis abeſt, ubi res clamore potenti
Tantum agitur! Soles Petulantia cœca ſerenos
Occupat, inducias libris, nulla ocia præbent
Nequitiæ. Si trux aquilo, aut nimboſus Orion,
Horâ poſt pultes & ſalſamenta ſecundâ

Tra-

Traxerit in claſſem, oblitos quid lectio poſcat;
Et Styga jurantes, permiſtum murmure planctum,
Atque indiſtinctos confuſa voce ſuſurros
Perculſæ capiunt aures; examina credas
Crabronum, aut veſpas ad pabula fæda ruentes:
Mitior in magno ſtrepitus furit amphitheatro,
Curſori cùm turba favet. Qui gutture vincit
Stentora, vimineos majori robore faſces
Qui vibrare poteſt, tantoque tonare tumultu,
Quanto percuſſis incudibus æra reſultant,
Cum pelvim fingit furvus faber, ille brabeum
Promeruit. Nam quid didicit, niſi tendere virgam,
Nuper & acceptas cum fœnore reddere plagas,
Orbilius, barba referens & voce capellam?
Nempe horum huc ferulæ tendunt, ut verbere multo
Perfoſſas ingreſſa nates Sapientia, ſtultum
Ad cerebrum curvâ per colum ambage feratur,
Unde ferant pretium, fulgentem divite cenſu
Suggeſtum, & decimis onerata altaria, dotem
Ancillæ, cujus thalamo parapherna parantur
Sacra toga, & duplicis conſponſa opulentia templi.
Aut vidua jaceant ſponda, nubantque Sibyllæ,
Cui ſemper madido dependet ſtiria naſo,
Cui ſecreta tegunt fugitivos ſcrinia dentes,
Perpetua & tuſſis gingivam nudat inermem.
Tum rixæ, & triſti ſurgunt his jurgia lecto,
Si lateri parcant, nec quantum prurit anhelent
In cute rugoſa, & laſcivæ pellis hiatu.
  Hæc fortuna manet viles ſine ſtemmate lumbos,
Quos operit cento & tunicæ velamina nigræ,
Quos lac maternum ſuxiſſe penuria adegit:

At quos naſcentes contexit purpura, quosque
Thaide nutritos adnatis mille colonis
Et totidem vernis dives Lucina beavit;
Hi primis Eponam diſcunt jurare ſub annis,
Præſepesque animo, ac pinguem meditantur avenam,
Fulmineumque, decus lateri qui pendeat, enſem,
Et telum afflatos miſſurum ad prandia turdos.
Inde juventutis primæ cum venerit ætas,
Ac, præter libros validum ferre omnia robur;
Exoptata diu, votisque petita ſecundis,
Quadrupedante ruunt alacres ad Equilia curſu.
Tum demum genere hoc, & tanto ſanguine digni
Quod cives metuant. Stat flagro inſignis & unco,
Cornipedesque ſuos Muſarum ignarus Equiſo,
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos
Edocet, arguto præiens popyſmate ſaltus.
Pegaſei fontes, Clariaque è valle corymbi,
Et Pindi flores & Vatum inſignia laurus
Huic foricas redolent, vel quot Marenna pepedit.
Sed lotii torrens, excretaque prandia pulchri
Bucephali, myrrham, ſtactenque & cinnama fragrant:
Dulcia jejuno confortativa cerebro,
Dum Strigilim verſat: dum titillatus adhinnit
Diſcipulus, fundens poſtica didactra magiſtro.
Artibus his Aurora favet, gratoque moratur
Intuitu, donec decimo campanula pulſu
Quaſſata ad piſcem vocet inteſtina recentem,
Ad far candidulum, & puri carcheſia Zythi:
Cui pernæ cuneus, cui bina ſupernatet halex
In ſtomacho, languenti irritamenta palato.
Quod ſupereſt lucis, pugilis ſchola denſa periti

Ex-

Exhaurit: Gallus potiores abripit horas
Mirmillo, antiquo melius docturus, ad Orcum
Sternere ſubtilem, dignumqne indagine callem.
Ridiculum eſt, homines populari occidere ſicâ,
Aut ſtiva coſtas, aut conto illidere calvam:
Impius hoc miles, vel prædo novit avarus,
Aurigæque leves, & filius Alpheſibæi.
Artifice hic opus eſt dextrâ inconceſſaque vulgo
Vis animi, ſtudium longè ſublimius optat.
Ingenti pretio, & multo ſudore parandum eſt,
Ut diſcas mactare viros, & triſte cadaver
Carnifici feciſſe manu. Tua gloria poſcit,
Heroum ô ſanguis, totas impendere vires,
Ut varias cædis ſpecies & nomina diſcas,
Temporaque & miros diſtorto corpore flexus:
Quis tenor inſidiis habilis: quota linea guttur
Transfodiat, qualis pulmonem perforet ictus:
Ut cadat heſternus docto ſub vulnere amicus,
Utque queas audax in ſortem arceſſere pugnam
Semideum ſocium, ſi quem tibi fecerit hoſtem
Liberiorve jocus, ſpretive injuria pocli.
Hinc verus tibi ſurget honos & gloria major,
Quam quos pro patria, pro religionis avitæ
Vindiciis, dubii juvat ire in prælia Martis.
Non hos conductus Manes laudare ſacerdos
Venali tollet cæſos ad ſidera lingua,
Proclamans populo, & lacrymoſâ voce recenſens
Bis ſenos proavorum atavos abavûmque parentes,
Et longum à priſco deducens Teutone ſtemma:
Verum inhumata trahit Germanus viſcera vultur,
Oſſaque ſanguineos ſparſim disjecta per agros

A Jove putreſcunt, non ullo condita buſto.
Hoc apage; uberior laus & fortuna duello eſt:
Si valvas animæ infauſto mucrone reſolvit
Diſcipulus melior, conſcripti in veſtibus atris
Heroës proceresque & triſtis turba Dearum,
Inferias ducent, & Mauſolèa parabunt:
Egregium in tumbâ facinus leget invida tantæ
Poſteritas laudi ſimilesque viriliter auſus
Moliri ſeros accendet fama nepotes.
Quamprimum gelidas generoſa reliquerit umbra
Corporis exuvias, non illam lintre profano
Portitor, aſſuetum timidus depoſcere naulum,
Excipiet, nec quà vulgus deducitur alno;
Puppe ſed auratâ, multoque nitente pyropo,
Cujus victrici fulgent carcheſia lauru.
Cerberus Alciden ratus adventare trifauces
Abſcondet rictus; nullo prohibente capeſſes
Elyſii ſilvas campi, ſedesque beatas.
I nunc & dubita raptis ex anſere pennis
Lethiferum præferre enſem, ſciſſisque libellis
Florem ævi ſtabulo, & celebri donare palæſtræ;
Fortis aqualiculum diſcas ut tundere opimi
Athletæ & ſonet icta tuo ſeps ferrea pulſu
Tecta hirco, aut triplici pugnacis tergore tauri.
Interea tali dum fervet arena tumultu,
Dum certæ exercent juvenes præludia famæ:
Atque aliquis labrum, livens vibicibus, ungit,
Abſtergitve genas, miſtamque cruore ſalivam
Exſpuit excuſſum quærens in pulvere dentem:
Impexus barbam, nullo comitante, magiſter
Ambulat ad cathedram, vacuâ lecturus in aulâ;

Et

Et ſtultas miſer ad ſubſellia nuda figuras
Scripturus: quis enim doctori commodet aurem
Plebejo atque inopi, & craſſa atramenta cacanti?
Qui nil grande ſonat; cui nunquam illuſtre verutum eſt
In manibus, nec quadrupedi dare novit habenas:
Sed cui multa latet tenui ſub veſte ſupellex,
Regula, & inflexum ducturus Circinus arcum,
Et qui nigra bipes dependet ad ilia Gnomon,
Atque inſcripta notis cerebrum turbantibus ingens
Membranæ moles, & cretæ fruſta bilibris.
Ille eſt qui radio tentat deſcribere Mundum;
Et terras tractusque Maris, peregrinaque regna,
Cum tenebras habitet miſer, anguſtosque penates,
Quorum nuda patet lentus per tecta Boötes,
Atque Helice; imbricibus ruptis deſcendit ab alto
Jupiter, irroratque arentes imbre libellos,
Et pluviâ ſphæras, cœleſtesque abluit orbes.
Hic tot myriadas, centenaque millia pingit
In tabulâ innummeræ numerum inventurus arenæ,
Sed pleni Zyphrâ loculi vix quatuor aſſes
Inveniunt, fundo nummus ſuſpirat in imo,
Et gemit è ciſtâ ſocias fugiſſe coronas.
Hæc ſunt, quæ noſtrum, Præſes Cyrrhæe, pudorem
Proſtituunt, coguntque gravi ſuccumbere fato:
Hinc laceræ pallæ Muſis, hinc conche tumemus
Exigua, & macræ haurimus vix juſcula menſæ.
Interea noſter ſubrectas tollere criſtas
Hoſtis amat: bis mille flagellatoris iniqua
Bupodis arca tenet minas: ter dena talenta
Aurea prædonis conſcribit penna telonæ:
Et quos fama viros, meritæ quos gloria laudis

Eve-

Evehit ad ſuperos, vitâ dum puriter actâ,
Et multo capiunt ſua præmia digna laborẽ
Indignus ſequitur cœtus: ſeſe improba miſcet
Turba probis, non hos cœlum, aut mens conſcia terret,
Quin voto ac tabulis tardantia fata piorum
Anticipent, rapiantque auguſti commoda cenſus,
Quem Patrum pietas aris templiſque dicavit,
Ut vitam hinc tolerent, & conſolentur egeni
Fortunæ invidiam, viduiſque penuria mæſtis
Sit levior pauperque habeat ſua farra ſacerdos
Aut quos divinis conſumpta laboribus ætas
Jam rude donatos merita ocia quærere cogit:
At quinam has eleëmoſynas, reditusque ſacratos,
Abripiunt? qui ſunt hi circum alvearia fuci!
Vix pudor effari patitur: Subſellia ſartor
Summa tenet: poſt hunc inflatis ſpondula buccis,
Et tergum læſus Thraſo, fœmineusque ſatelles,
Et ſpretos calcans, Parnaſſi transfuga, libros.
Heroasque inter doctrina & laude celebres
Conſidet ac valgis vix imperat ocia plantis
Præſultor choragus: dextram ſpado claudit anhelus,
Qui loculis ſervans exſecta crepundia eburnis,
Et voce & facie jacturam prodit anili.
Veſtam in marmoreo quondam curare camino
Doctus, & advectis ignem ſuccendere ſilvis,
Vulcani genitor, primam ſpectabilis urnam
Concutit, ac reliquæ reprehendit vota cathedræ:
Et nunc municipis rationes ponere villæ
Oconomo mandat, nunc pontificalia luſtrat
Prædia, diſtentam fracto numiſmate pellem,
Hibernosque boves referens, meſſemque beatam.

Quò

Quo tondente gravis concivi barba ſonabat,
Jam canonas didicit, ſacroque ex ordine tondet
Rura ſua & propios, mercedem forficis, agros.
Sed ne forte putes gratis hæc munera poſci,
Aut ſegnem duci vitam, vacuamque labore:
Maximus hic labor eſt, unctam curare culinam,
Et bibere à ſextâ præfixi limitis hauſtum,
Quem ratio advexit peregrina, & opinio præfert
Indigenæ, quanquam puros à fece liquores
Ac minus inſanos patrium deſpumet ahenum.
Stat comes huic prægnans ardente fidelia Baccho,
Quod tranſmiſiſti generoſo è palmite, Rhene,
Poclorum Rex Rhene, tuas niſi Sequana vires
Enervet, conſors furtivi factus honoris.
Hæc inter ſtudia, & jam ſtratæ prælia menſæ
Prælia narrantur Regum cædesque virorum:
Quæ fuerit victrix acies, quot Svecia turmas
Miſerit in campos Germanûm; & quicquid avarus
E proprio finxit ſibi bibliopola cerebro,
Ut ſolita in ſancto vendat ludibria templo.
Adduntur paſſim tantarum obſonia rerum
Probra in cœlicolas, dirarum immania plauſtra,
Et ſervatricis renovata infamia mortis,
Diaque blaſphemis recrudeſcentia linguis
Vulnera, quæ valeant nugis adferre leporem.
    Sed leve id eſt, veniamque meret: nam more recepto
Sermonum appendix eſt, & mantiſſa loquendi,
Ejurare Deos! verborum hic floſculus, hæc eſt
Nusquam in Rhetoricis deſcripta Figura libellis.
Nulla fides modicè juranti. Si quis amicum

Ore pio affari tentet; niſi Numina cuncta,
Et cœlum teſtes vocet, & penetralia Ditis,
Ni Phlegethonta imum ſupremis temperet aſtris,
Harpocrates elinguis erit, nec pluribus hiſcet
Quam Mœna, & captæ Cimbrorum in littore conchæ,
Septem Tiſiphonas, & bis ſex ora Megæræ,
Milleque Cerberei fauces & colla moloſſi
Et quicquid pallens nunquam conſpexit Avernus:
Hæc jurat caligas qui nondum puſio ſumpſit,
Et cui mollis adhuc animus dignoſſe negavit
Angues Eumenidum, aut recidivi pondera ſaxi:
At quos judicii gravitate peritior ætas
Imbuit, hi numerum ad digitos ſubducere norunt,
Quot piceas habeant Acherontis flumina guttas,
Quot crudo poſſint ſtabulari in viſcere peſtes,
Quot teneat Stygias Holſatica tonna cohortes,
Venturas votum, cum cara ſororcula fratri
χαῖρ' ait, aut neptem ſolatur avunculus ægram.
Sic juvat ad Canonas devotam ducere vitam,
Sacratosque Deo curæ huic impendere nummos,
Ut tremat omento pinguique abdomine venter,
Viginti agricolas capiens, & jugera centum,
Hortosque & patrios promptus ſorbere penates.
At nobis nemo tantum concedit agelli,
Quantum talpa fodit, quod mus aret, unica quantum
Brumali formica die conſumere poſſet.
Non erat hæc mundo facies, cum Roma videret
Auguſtum, dignum ſublimi Cæſare nomen:
Cum Mæcenatem felicia ſecula ferrent:
Tunc comes ibat honos, parilique pediſſequa paſſu

Glo-

Gloria tendebat doctas profitentibus artes:
Nec ſolæ endromides, adſutaque læna lacernæ
Segmentata auro, Sarranoque ebria ſucco,
Grande viro pretium ſpreta Virtute ferebat:
Sed laudabatur ſimplex ſine murice veſtis,
Antiquam referens ſpeciem, priſcique figuram
Oſtentans decoris; qualem Bœotia vidit,
Harmoniæ caſtas iret cum Cadmus in ulnas.
Sartoris nunc dextra, novos effingere vultus
Ingenioſa, avidas conſumit nocte lucernas,
Patribus ignotam capiant ut pallia formam
Et nunquam viſis generetur abolla figuris.
Aſpice quàm longo cupiant procurrere lapſu
Ingentes caligæ, tenui ceu fiſtula cannâ
Preſſantes lumbum: ſpretâ coxendice, fines
Ultra hepar renesque ferunt, victumque lienem:
In caligis jam corda ſedent: jam ſubligar alas
Occupat, ad jugulum paullatim & guttura tendens.
Ac veluti lento graditur gangræna meatu,
Secretasque trahit vires, ſic perpete niſu
Utrinque occulta properat ſerpigine bracca,
Hinc truncam ad barbam, atque inde ad calcaria reptans;
Nec ſecus ac dubio certant de limite regni
Finitimi proceres, ſeque urgent ancipe ferro;
Sic ſeſe alterno vicini Marte fatigant
Thorax & Caligæ. Vix ſeptima labitur æſtas,
Cum dominos faſces, & regia ſceptra tenebat
Auguſtus thorax: medii quà prominet umbo
Corporis, hos illi dederat victoria fines;
Mutavit ſors cœca vices: jam bracca triumphat,

Et vinctum ac magnâ Thoracem parte minutum
Exuit imperio: triplex nec profuit ordo
Nodorum miſero, aut ligularum exercitus ingens.
Sed fors tempus erit ſextæ poſt frigora brumæ
Cum plures forfex impos effingere luſus,
Amiſſum trunco thoraci reddet honorem;
Cum coxæ limbos reduces atque ilia priſcos
Accipient cinctus, rurſusque abdomine laxo,
Liberiore pulex lætus ſaltabit in aulâ
Rideat hæc aliquis. Sed bile tumentior atrâ,
Si faciem, & certâ diſpoſtas lege capronas
Aſpiciat, merito clamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus: quoniam frons nulla relicta eſt,
Aut cerni metuit, læſo perfricta pudore.
Quid dicat Proculus, ſi de ciniflone reverſum
A tergo videat Rufum vel ponè ſequatur?
Ornatam juret per Græca palatia Phrynen
Allectare viros: aut priſcæ ad mænia Trojæ
Peltato prodire ex agmine Pentheſileam:
Sic fluit ad ſcapulas ferro criſpata calente
Mollities cirri: tam docto pectine fulget
In centum coma fracta gradus, intextaque portat
Symbola ſecreti nimium pretioſa favoris.
At ne fors errans quiſquam, plana omnia credat
Infra ventriculum, tenuemque abſcondere rimam:
Diſcrimen ſexus de podice fluctuat enſis,
Coccinaque impellit ſcabioſæ tegmina clunis:
Et lateri quondam ſvetus pendere ſiniſtro,
Nec pavidus fuſum ſub Marte haurire cruorem,
Idem nunc olidi pulſans ſpiracula follis,

Hau-

Haurit poſtico fugientem è carcere Caurum;
Ambulat anſatus per compita perque plateas
Penelopes ſponſus: volucris conſiſtere neſcit
Pluma loco, & plumâ levius caput. Ecce ſororem
Mittit in occurſum lux proſpera: mille ſalutum
Nuntia ſublatus nudat calamiſtra galerus
Eminus: inflexo ſinuantur brachia gibbo,
Indice fulgentem labris ſiſtentia gemmam.
Longa pavimentum tunc radit linea; crebro
Prolixos faciens plantâ ſtrepitante decuſſes.
Quot melle ac dulci condita papavere verba
Ore fluunt, toties, tuus ô Galatea miniſter,
Servitii promptus, ſeu Sol ſeu Sidera poſcunt,
In mala aut ſcapulis tremulum micat, alite palmâ;
Inque viam palpat: toties curvatur in arcum,
Qualis Atlas nutat magnæ ſub pondere molis,
Aut Luna oſtendit redivivi cornua vultus.
O vanas hominum curas ô triſtia ſecla!
Europæ priſcos corrumpit Gallia mores,
Et vitia ære gravi, multoque redempta periclo,
Fert reliquis terris, & cunctas faſcinat oras,
Priſtinus hinc decreſcit Honos, & maſcula virtus,
Atque animi fortes, invictaque robora bello:
Inque locum ſubeunt perjuria, fœda libido,
Fœminei comptus. Sint Gallica cuncta neceſſe eſt,
Verborum ampullæ, patriæque infarcta loquelæ
Gallica vox, non indigenis, non cognita civi:
Et fraus, & levitas: in corpore Gallica veſtis,
Et Galli ritus: mittit quoque Gallia ſpurcam
Contagem, inſuetasque per arma duellica mortes.

Talia dum memorat commotâ percitabile
Urania, ad Phœbum devenit epiſtola, magnum
Deſcendiſſe virum ad ſuperos, Venerique talentum,
Et mille in tabulis minas legaſſe Lyæo,
Atque obulos Muſis quinos, ut voce ſonorâ
Patricias laudes, & docta epicedia cantent.
Illæ, ne tanti ferrent diſpendia lucri,
Currebant alacres celebrandi ad buſta patroni.

DA-

DAPHNORINI
Querimonia.

FRactus ævo, mente languens, laſſus ægritudine,
Daphnorinus, cum ſoporem palpebris nox pervigil,
Curaque inſomnis quietem denegaret artubus,
His, lucernâ teſte, cœlos impulit ſuſpiriis.
Quis mihi, inquit, haurienti lucis auras adſtitit,
Et meis Genius iniquus præfuit cunabulis?
Non quidem tam ſæva quondam fata, ſortemque aſperam.
Phœbus & fallax Dearum turba mi ſpoponderat,
Cum ſoli natalis arva, quaque vagii, domum
Exteris mutare volui trans fretum penatibus.
Illa magni fama Regis, illa ſedes cœlicas,
Orbis & transgreſſa fines, larga munificentia,
Quæque ceu ſidus novellum fulgurans recentibus
Aucta radiis lumina in ſe verterat mortalium,
Sola celebris provocarunt illici me præmio.
Quam diu robuſta ſanguis genua & inſitus calor
Integros firmabat artus, nulla me vidit dies
Ocio torpere inerte: Muſa, & ingenuus labor
Ocium fuere gratum dexteræ artificis opus,
Doctaque inſolitâ ſupellex fabricata indagine
Parvulam laſſo quietem præbuerunt pectori.
Nunc ubi annos antevortens, & nimis procax meas
Abſtulit ſenecta vires, meque fecit impotem
Ferre priſtinos labores, quos juventa poſtulat:
Dum magis magisque ſerpens ægra circum viſcera
Morbus extremum minatur, quod capit mortalitas,

Me

Me caduca ſpes inani derelinquit omine:
Ante non notas novercæ ſortis experior vices.
Qui prius ſtridebat, igne ſobrio lucens focus,
Nunc cibum tenuem miniſtrat ære preſſus non meo,
Vix dies à Creditorum plebe paucos impetro.
Non mihi aut ſuperba veſtis, aut catinus dapſilis,
Aut domus neglecta cura peperit hoc diſpendium:
Sed doloſæ fraudis expers pectus, & Mens integra,
Nec ſacro venalis auro, nec redempta honoribus,
Sed ſuo contenta fato, Mater hæc damni fuit,
Optima eſt enixa prolem peſſimam puerpera.
Publica acceſſit procella, derepente in Daniam,
Tale nil quicquam timentem detonans. Mars impius,
Dum pia objicit profano militi ſtipendia,
Palladi minuit pudorem, vimque Muſis intulit.
Sancta Regum, Diis ſacrata dona in alvum congerens
Urbium centum capacem, tota ſorbentem oppida.
Exul ergo Diva Nutrix, præda Marti, detulit
Multa ſecum, nixa queis ſtat liberis uber domus.
Ponè Gradivum ſecuta eſt, illa quæ ceu peſtilens
Sidus omnes Orbis oras afflat, arcta Caritas.
Quò magè annonam flagellat rara meſſis, hoc magis
Deficit Muſis dicatum, ſumptui impar, præmium.
Hinc penates imminutos pulſat Indigentia,
Æsque penui deſtinatum fœnerator abripit.
Si quid è tenui ſalino parca ſepoſuit manus,
Id ſibi depoſcit omne pharmacorum conditor,
Aureæ ſtructor popinæ, gnavus Hippocratis coquus.
Sanitatis è tabernâ miſſus advolat puer,
Voce ſolvi turbulentâ, jure ſtricto poſtulans,

Tot

Tot Receptarum cylindros, totquè doſium codices,
Tot Syrupos, tot trochiſcos, urceosque eclegmatum,
Morſulos, tabulas, elixir, pulveres, cataplaſmata,
Tot catharſes in patellis, in cucullis pillulas,
Quot queant ciere ſeptem Ruſticorum pantices,
Heu nimis pretioſa menſæ pauperis jentacula,
Unde eorum eſt vacua farto pixis, atque capſulæ,
Unde fugitivis anhelat arca noſtra nummulis.
Interim conſcripta nobis Opera, fœtusque ingeni,
Mille noctium vigiliæ, longus annorum labor,
Eſca tineis, & pudendum pabulum blattis jacent;
Queis coronidem ſupremam, queis manum addere ultimam
Impeditur noſtra curis fracta mens domeſticis.
Sæpius mea ingemiſcit Muſa damno hoc, integra,
Virgo quondam; nunc pudore proſtituto (abſit procul
Omen hoc) meretrice quæſtu verita ſolari famem.
Tuque non rarò tuliſti graviter hoc diſpendium
Phæbe, amicum numen olim, fidus hactenus comes.
Quò fugis nunc? teque ſolito ſubtrahis conſpectui?
Talibus noctem fatigans Daphnorinus queſtibus,
Neſcios ſoporis oculos irrigabat lacrymis:
Cum refulgens luce clara Phœbus ultro ſe obtulit,
Et genas tergens amicis ſolvit ora vocibus:
Parce cœlos immerente provocare injuriâ.
Certus eſto, quod tuarum dura rerum acerbitas
Sancta Regis Friderici commovebit pectora,
Cui ſuprema lex, & una cura ſtat, populi ſalus.
Cur tuo ſedeat iniqua corde diffidentia?
Tanta Regis Magnitudo, tanta Virtus Principis,
Nec parem cui nec ſecundum noſtra cernunt ſecula,
Vera quem niveis quadrigis Fama cœlo ſuſtulit,

Quod miniſtris parva quamvis, paucaque officia ſuis
Gaudeat penſare larga & liberali dexterâ,
Te videbit, derelictum, deſtitutumque auxili?
Nec dabit meſſem laborum metere, quos tu ter decem
Jam per annos pertuliſti, laude non inglorius?
Qui tuæ ver ævitatis, atque floridos dies
Publicis Danæ juventæ conſecraſti commodis,
Ut gravis nunc Bruma vitæ torpeat triſti gelu,
Et nive aſperſum indecore ſqualeat ſitu caput?
Abſit, abſit iſta mentis cogitatio impiæ.
Nonne cum primum corona cingeret Rex verticem,
Annuo tuum beavit ſponte cenſum auctario,
Regii favoris arrhâ prima ſceptra inaugurans?
Nunc licet ſat turbulento res fluant lapſu, tamen
Magnus animus ſorte utraque major haud ſinit, ſuo
Quicquam honori ut triſte tempus gloriæve deroget.
Creſcit augeturque dando plura, Liberalitas,
Deputans lucrum ſibi eſſe, quod probis impenditur.
Quæ tibi patebat aurâ naviganti proſpera,
Maximè nunc indigenti clauſa non erit manus.
Ipſe ego illi vellicabo lenis aurem & temporis
Anteacti, ac jam fluentis concitabo memoriam,
Sicque dicam: O Rex Dearum firma ſpes Parnaſſidum,
Dulce columen eruditæ gentis, & ſummum decus:
Ille quem diuturna fecit ægritudo languidum,
Quem dies, longusque veſtræ patriæ impenſus labor,
Nunc juberet, ut ſolutus, & procul negotiis,
Relliquum vitæ in receſſu degat, emeritus Senex,
Ille, cum ſe Sora veſtræ laudibus præſentiæ
Tolleret, conſors honoris facta, tantum cernere
Incolam; momenta quædam, & portiunculam tuæ

Juſ-

Juſſus inſtitutioni ferre, pectus hoc capax
Omnium artium, eruditis imbuit ſcientiis.
Quicquid intimo receſſu Numerus arcani tenet,
Quicquid aut Megarenſis Heros, aut Syracoſius Senex
Prodiderunt, habile & annis & tuo aptum ſanguini,
Prævio hoc doctore, dia mentis hauſiſti indole.
Nunc pia memorique tecum mente, Rex expendito,
Quam frequenter ille veſtro tunc frui conſortio
Non negatus atque herilis particeps menſæ, jocis
Serio ſermone mixtis, prandium condiverit.
Cumque jam Sora relicta dius ardor pectoris
Diſſitas hinc orbis oras Te juberet viſere;
Plenus entheo furore, tale verbum protulit;
Ito felix, Domine, non me fallit hoc præſagium,
Irritis nec certa frontem Parca ſignavit notis:
Hoc prius (ſic fata poſcunt) gravia paſſurum caput,
Arduis tibi ad Coronam præparandum eſt caſibus.
Quod dein majore ſplendens tanget aſtra gloria.
Quamque nunc abiens benigne porrigis mihi dexteram,
Indicem certumque pignus pertinacis gratiæ
Hæc feret paterna quondam ſceptra faſcesque Imperi,
Tunc novo Regi inſuetis gratulabor verſibus,
Tunc meis feliciora fata rebus ſpondeo,
Quæ profatus ore fuerat, verus augur, præſcio,
Proſpero eventus ſequutus comprobavit omine.
Hæc ego fidus ſequeſter verba Regi perferam,
Verba non portanda rapidis Balthicum in fretum Notis.
Tu modo animum, Daphnorine, recipe, concuſſum metu.
Sæpe Navis quam ſecundus Auſter, & fluctus tulit
Usque felix, per profundi glauca regna Nerei,
Jam ſubire prompta portum, jamque terræ proxima,

Derepentè ſævientis quaſſa Boreæ turbine,
Mergitur ferè, atque in ipſo penè ſidit oſtio:
Quæ tamen cautâ Magiſtri ſeduli prudentia
Soſpitata, ſe paterno ſalva reddit littori,
Lætaque advectas remoto à Sole merces explicat.
Hactenus tuæ favente cymba vitæ Numine
Proſperum ſulcavit æquor, lapſa tranquillo ſalo;
Jamque ſpes blandæ quietis te fovebat, ocium
Pollicens, & dulce longis præmium ſudoribus:
Quando inexſpectata duro ſæva ſtridens impetu
Obruit procella puppim, jam propinquam portui,
Naufragum minitata fatum. Sed fidelis Arbiter,
Qui tenens clavum gubernat fidus Arctoam ratem,
Ille Caſtoris gemellum ſparget antennis jubar,
Et tua ad deſideratum vela flectet alveum.

Quin & idem Rector orbis Danici, Diis æmulus,
Non ſuo tantum favore te beabit, quam diu
Quantulum eſt quod reſtat ævi tranſigis: ſed inſuper
In tuum gnatum refuſam prorogabit gratiam:
Et ſereniore vultu vota noſtra comprobans,
Largietur, ut tibi cum fila rumpet Atropos,
Filius, tuæ à juventâ cultor Artis ſedulus,
In Profeſſorum chatedrâ ſedeat, & ſubſelliis:
Sicque ſeriem proſequutus ordinis, non degener,
Quem Pater tenuit, eundem filius teneat locum.
Non quidem peregrinus ille eſt, aut ab aliis advena,
Ipſius quod vos parentes eſtis, huc venit locis;
Sed ſolum natale ſibimet eſſe gaudet Daniam:
Eſtque Sorani Lycei prima proles omnium
Quos ſatu fœcunda largo protulit Academia.
Ejus ergo æquæva geſtans nomina incunabulis,

Pa-

Patriæ jus ſingulare Civitatis expetit.
Sic novus ſuccreſcit altâ ſurculus ſub arbore,
Pullulans radice firma, ſeque in auras exſerit:
Quæ bipennis cum vetuſtum caudicem ceciderit,
Facta tunc arbos, paterno ſtat ſolo & magis ubere
Fœta ramo, dulciores fronde fructus parturit.
Hoc tabellis Rex benignus, hoc ratum facies manu.
Surge lætus. Illa magni fida Regis corcula,
Incliti Heroës, patronos jure quos merito colis,
Hi tibi ſternent faventes ſemitam internuntii,
Quà tua hæc notanda chartis commeet Querimonia,
Regios viſura vultus, & repulſam neſciens.
Fatus hæc Apollo, nocti ſe profundæ miſcuit.
Daphnorinus ſpe referto geſtiens ſolatio,
Et ſacro motus furore, non tulit ſilentium
Sed thorum domumque tali concitavit jubilo:
Friderice Rex, avitæ ſplendor & fax gloriæ,
Regiæ virtutis hæres; ſancta cujus comitas
Socia Majeſtatis, omnes Orbis illuſtrat plagas;
Effice, ut benignitatis aureum ſolitæ jubar
In tuum radiet clientem, jam tenebris obſitum:
Ut Senex ægerque dura ſorte preſſus, nunc velut
Pallido revocatus orco, dormientem ſuſcitet
In tuas laudes Camænam, & glorioſi Nominis
Pergat hoc ſonare, Fama præcinente, encomium:
Qui prius, Dux Fridericus, Daphnorino oſtenderat
Signa multa, & ominoſa Regiæ Clementiæ,
Ille nunc Rex Fridericus, priſtinæ olim gratiæ,
Jamque Majeſtatis, ipſi grande monumentum addidit.

Jambi
In Nuptias,
JOHANNIS GEORGII QUIRINI,
Civis & Oenopolæ Hafnienſis.

MUltas *Quirinus* arcuato in fornice
Congeſſit orcas, ſerias, tinas, cados,
Queis continetur Maſſicus Bacchi liquor;
Temeta pura, dulce Chium, murrina,
Epulas amicas inter et feſtas dapes
Futura amyſtis. Omnibus pretio patent
Hypogeia & uda doliorum viſcera.
Unum Quirinus ille vaſculum ſibi
Soli ſuisque ſegregavit uſibus,
Intaminatum, purum, epiſtomii inſcium;
Quo clauſis halat innubæ Veneris latex,
Charitumque nectar, atque Amoris defrutum,
Nulli hauriendum nec pitiſſandum viro,
Si non *Quirino*. Ferte verbenas ſacras,
Adolete Thymbram, funditote ſimpulum:
Suum *Quirinus* Vas, victor impiger,
Operculabit, ſedulusque innoxiâ
Mediam terebrâ perforabit aſſulam,
Siphunculumque lætus intrudet novum.
Plaudit Lyæus: ridet & faces quatit
Cypris protervo juncta Amorum cætui,
Cantatque verba nupta: Res Rei convenit.
Nam quale vas eſt, talis eſt Siphunculus.

§ (o) §

99 959658